

GLOSSARIA LATINA

IUSSU ACADEMIAE BRITANNICAE EDITA

I

GLOSSARIUM ANSILEUBI
SIVE LIBRUM GLOSSARUM

EDIDERUNT

W.-M. LINDSAY · J.-F. MOUNTFORD · J. WHATMOUGH

ETIAM

F. REES · R. WEIR · M. LAISTNER

67V

FACOLTÀ DI MAGISTERO
Istituto di Filologia Latina e Medioevale

INV. N. 5573

9

1965



GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Paris 1926
Mit Genehmigung des Verlages Les Belles Lettres, Paris
Printed in Germany
Herstellung: fotokop, Reprografischer Betrieb GmbH, Darmstadt
Best. Nr. 5100861

PRAEFATIO

I. — De hac editione

Si forte requires, lector benevole, cur permagnum illud glossarium quod Francogalli glossarium Ansileubi ceteri Librum Glossarum vocant, quamvis Goetz Excerpta haud contemnenda publici iuris iamdudum fecerit (*Corp. Gloss. Lat.*, V, 159-255), hic paene integrum exhibere neque glossas quae parvi vel nullius pretii esse videantur oblivioni dare statuerimus multas crede rationes easque gravissimas exstitisse. primum enim illud cogita quae sit audacia partes vanni glossariae suscipere et paleam a frumento confidentissime secernere. age dic de glossa CO 1167 (Commerui : aut peccavi pariter), estne proiecta vilior alga ? videtur certe esse neque tamen est. quid ? nonne Goetz dapis meliora se apposuisse ratus ita excerpserit ut neque ipse neque alii perspicere potuerint scholia Vergiliana et fortasse Donatiana e pleniore Abstrusa glossario derivata fontem nostri glossarii fuisse ; quae, ut postea demonstrabimus, redintegrari nullo modo possunt nisi glossis et longioribus quas protulit Goetz et brevioribus quas contempsit congregandis. gaudebis sane si post longum multorum laborem Donati commentarius aliquo modo restituatur ; tu idem negas has omnes glossulas exhibendas ? quin etiam aliae glossulae e codicum Vergilianorum adnotatiunculis ortae lectiones non solum ad Aeneida, Georgica, Bucolica sed etiam ad Appendicem quam vocant Vergilianam spectantes praebent ; quarum de testimonio quo melius viri docti iudicent universas in propatulo esse oportet. neque praetermitti debent glossae e glossario Abolita petitae quae ad libros Festi deperditos restituendos haud inutiles esse videantur. vix etiam ac ne vix quidem te fugiet specimen praeclarissimum neque temere violandum studiorum artium doctrinae in Gallia Hispaniaque saeculo septimo vigentium glossario nostro praebere. postremo, quod nos maxime movet, Libro Glossarum opus est ad Dictionarium Cangii recensendum ; ipse enim Cangius confessus est hoc glossarium sui operis fuisse pro fundamento.

Ne diutius te moremur, rationem quam in hac editione paranda secuti sumus paucis explicabimus, lemmata quidem omnia hic reperies exposita etiamsi interpretationes complures omiserimus. eae enim Libri Glossarum partes quae encyclopaediae similiores sunt nisi excerpta e libris iamdudum in lucem prolatis, videlicet Isidori Etymologiis et aliis, tibi, nihil fere offerre possunt. talibus igitur lemmatibus ita adposuimus indicium librorum e quibus

Ansileubus (vel quisquis erat glossarii conditor) excerpserit ut facile eam apud illos ipsos auctores indagare possis interpretationem quam hic iterare noluimus, glossas quoque Placidi quippe quae in quinto volumine *Corp. Gloss. Lat.* exhibeantur simili modo tractavimus, glossarum etiam quae Synonyma Ciceronis habent interpretationes omittere non dubitavimus quia ipsae invicem lemmata fieri solent; nam cordi erat Ansileubo (si licet hac ansa libri conditorem prendere) uni glossae varias formas ita induere ut vocabulum hic vice interpretationis functum lemma illic fieret, cum igitur in primo codicum folio hae glossae legantur:

Ab abiectissimis: a deformissimis et ab infirmis [simis],

Ab abiectissimis: ab tenuissimis, ab obscurissimis, ab angustissimis sive a parvissimis.

Ab abiectissimis: a minimis et ab humilibus, nos praeter 2-4 *Ab abiectissimis* (=Syn.) nihil exhibuimus, si tamen apparatu critico fretus quaesiveris AB 490-2 (ubi primum fontis indicium praebent codices) ibi reperies tabulam omnium glossae formarum sic expositam ut tota si placeat farrago iterum componi possit.

Quamquam rogatu Frederici Kenyon Academiae Britannicae praesidentis Universitates quinque (eae scilicet quae in pagina prima nostra nominantur, praeter solam Aberdoniensem) argentum nobis praebuerunt, nihilominus coacti sumus ob paenuriam chartae plurimarum lectionum iacturam facere, scito igitur nos pro fundamento editionis nostrae duobus codicibus quos literis *L* et *P* notavimus esse usos, aliis quoties vel *L* vel *P* textum corruptum exhibere videtur; saepenumero leviores varietates orthographicas (*E* pro *AE*, etc.) et quisquilias dormitantium scribarum haud invitos neglexisse, inter lemma et interpretationem male positum intervallum tacite correximus.

Cum autem duo sibi proponere debeat qui glossarium hodie recenset ut et textum emendet et omnes si possit glossas ad fontes referat, nobis magno adiumento fuit quod in margine codicum plurimi fontium indiculi adscripti sunt, quos in apparatu nostro ne cum variis lectionibus confundas uncis quadratis (sic *Gloss.*) notavimus, si ut saepe fit fontis indicium non praebent codices, id signo (=) ante notam fontis posito significavimus.

II. — De glossarii fontibus

His quidem de fontibus quos adiit Ansileubus ordine disseremus ut primum locum habeant qui propius ad naturam glossarii accedant, qui autem encyclopaediae sint aptiores postea ponantur, hausit igitur:

1) e libro librisve multas glossas continentibus peramplam copiam eique notam *De Glossis* adposuit quam quidem notam nos varie tractavimus, quoties enim glossa e glossariis quae Abstrusa et Abolita appellantur sine dubio derivata est, in textu nostro aut *Abstr.* aut *Abol.* substituimus, alias quae ex eisdem glossariis sed plenioribus quam nunc extant petitae esse nobis videntur signis « *Abstr.* » et « *Abol.* » notavimus, reliquas nota *Gloss.* signatas invenies (1).

(1) si de hoc fonte plura vis scire haec accipe, glossarium Abstrusa separatim editu-

2) glossas e Placidi glossario excerptas haud scimus an pleniore signo *De Placidi Glossis* vel *Placidi De Glossis* primum notaverit Ansileubus ; huius eim fontis indiculus (*Placidi*) cum praecedentis (*De Glossis*) ita confunditur ut Goetz (*Corp. Gloss. Lat.* V, 43-104) cum veris Placidi glossis multas quoque dubias, ne dicamus falsas, acceperit. neque obliviscendum est Abstrusa Abolita glossaria et Placidianum eandem vetustae vocis interpretationem (a glossographis prioris aevi traditam) nonnumquam exhibere (cf. CA 419-20) (1).

3) tertia materies erant glossae breves e margine codicum Vergilianorum desumptae quae per duos rivos ad Librum Glossarum venerunt, plerasque quidem vilibus viliores esse patet, nonnullas autem quae ex adnotationibus Appendicis Vergilianae excerptae lectiones veteris codicis praebent minime spernendas esse nemo negabit (2). sunt etiam sub eiusdem fontis indiculo *Virgili* (seu recte seu perperam adscripto) glossae longiores quae cum glossis plenioris Abstrusa aliquo vinculo coniungi videantur. si vero tecum reputabis glossas in Abstrusa glossario plerasque Vergilianas esse, in Abolita innumeras, in pleniore quam nobis fingimus forma Abstrusa glossarii scholia Vergiliana, decurtata illa quidem et miserrime discerpta, ubique infuisse, facile intelleges quantum Vergilio Ansileubus acceptum referat. quare, nisi binae occurrant glossae ad eundem versum poetae spectantes (v. g. MO 83-4), signum (=Verg.) ponere raro audemus. solemus tamen in apparatu critico versum Vergilianum unde glossa provenerit aut provenire potuerit indicare. inde discas Ansileubi glossarium aequo iure Vergilianum appellari et Isidorianum.

4) Differentiis Isidori se usum esse per indicium glossis adpositum declarat Ansileubus, tum etiam altero parvi pretii Libro Differentiarum.

5) Synonyma Ciceronis quae vocantur signo *Ciceronis* indicavit, nos *Syn.* his glossis adscripsimus. haec vero materies primam videtur formam habuisse glossarum longarum (cf. OM 42-6) praeposito fontis indiculo (velut CICERONIS Ab abiectissimis : a deformissimis, ab infirmis, ab tenuissimis, etc.), sed librarii ita glossam longam in plurimas breviores diviserunt ut fontis indiculo ad initium seriei relicto lemma iteraverint in unoquoque versu duabus vel tribus interpretationibus adiectis. unde fit ut incertum saepe sit ubi series Synonymorum aut finem habeat aut, si desit indiculus, initium. et fatendum est nos ipsos nimis libenter dubiam notam (=Syn. ?) arripuisse ne vilissimae

rus est Thomson (qui etiam nostrum in usum partem Ansileubiani praeparavit), Abolita editurus est Lindsay. disputabunt quoque Weir et Mountford, hic de glossis plenioris Abstrusa glossarii quae locos e Vergilio. Terentio, Lucano, Statio aliis exceptos exhibeant, ille de eis glossis quas signo *Gloss.* notavimus. interim, si placet crede nobiscum eas quoque ex Abstrusa Abolita glossariis provenire praeter pauca Scholica Graeca, i. e. glossas ex auditorio Graecae docentis acceptas et ad eandem fere formam redactas, ut GE 235 (Georgos: rusticus Graece ; bene ergo Georgius rusticanus) ; MO 309 (Monos : solus Graece ; bene ergo monachus singularis) ; EC 19 (Ecclesiazo : contionor Graece ; bene ergo Ecclesiastes contionator).

(1) hac de re glossarium Placidi editurus disputabit Whatmough.

(2) hoc de fonte disputatura est Rees.

glossae fortasse revera ex Abstr., Abol., Verg. haustae, (ut puta DA 103-6 Dapes : epulae, Dapes : sacrificio adpositos cibos, Dapes : esca, cibus, Dapes : prandium, escam) taedio te occiderent.

6) excerpta e Libro de Orthographia quem ad usum discipulorum scripsit Paulus nescioquis nota *Pauli Abbatis De Orthographia* indicata sunt (saepius *Pauli*, qua nota etiam Orosius saepe indicatur !); sed cum rem orthographicam tractaverit Placidus quoque necnon Abstrusa et Abolita glossaria, cavendum tibi monemus ne pro certo habeas talium glossarum, levissimarum illarum quidem, fontem si indiculum omiserint codices.

Cum his quas enumeravimus glossis ad glossarium aptissimis miscentur in Libro Glossarum aliae longiores et encyclopaediae propiores; quarum ad fontes exquirendos nunc accedimus.

1) inter omnes constat excerpta ex Isidori Etymologiis fundamentum fuisse totius Libri Glossarum, quae cum ex codice familiae quae dicitur interpolatae sive Hispanicae Ansileubus excerpserit, nota « *Is.* » pro *Is.* posita indicavimus glossam nostram ab editione Oxoniensi aliquid differre, ex aliis quoque Isidori libris hausit Ansileubus quorum duo, alter Liber Artium appellatus, alter ubi rem metricam tractavit (forsitan et grammaticam) deperditi sunt, quare metricas aliquot glossas minime notabiles et indiculo carentes signo (= *Is. Metr.*) indicare audemus (1).

2) ex aliis Patribus nominantur praesertim Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Eucherius.

3) ex Historicis Eutropius praestat breviores glossas, longiores Orosius.

4) glossas ad rem medicam spectantes variis e libris consarcinavisse Ansileubum e fontium indiculis patet, videlicet *Galenii*, *Hippocratis*, ex *Pandectis Medicis*, ex *Libris Medicinalibus*, *Oxeapathetica*. sicubi indicium deest in codicibus (= *med.*) scripsimus (2).

5) Physiologi qui dicitur librum indicio *Hoc Fisici Dicunt* codices, nos (*Phys.*) notavimus.

6) ex Grammaticis Audax raro, rarius Phocas nominantur in indiculis; glossae paucae Capri doctrinam exhibent; ceteras eiusdem generis minus notabiles et fortasse Isidorianas (ex libro Isidori nondum edito) quibus nulum fontis indicium est appositum signo (= *gram.*) notare statuimus.

7) rhetoricae glossae e Iuliani Toletani libro de Vitiis depromptae sequuntur ferme Isidori glossas ad rem rhetoricam spectantes, si rationem quaeres cur fons numquam in codicibus indicatus sit, credere licet Iuliani librum aut codicis Isidoriani quem adhibuerit Ansileubus quasi appendicem (3) fuisse aut, quod vero propius est, inscriptione ipsum caruisse.

(1) utrum illa glossa praeclarissima (PI 95a) quae nobis fragmentum Lucilianum conservat e Libro Artium sumpta sit an aliunde (vix cogitandum est de scholio Vergiliano in Laudem Pisonis) aegre decerni potest, aliam glossam notabilem illam videlicet quae tragoediam tractat (TR 66) Isidoro tribuunt codices nonnulli, alii nota *De Glossis* signant.

(2) has omnes glossas publici iuris faciendas curabit Heiberg.

(3) etiam ex Plinii Nat. Hist. locos Isidorianos de gemmis, etc. esse in eo codice auctos suspicamur (cf. ad OP 101).

8) nomina mensium tractant aliquae glossae a Mountford editae, easque quoque nullo fontis indiculo notare solent codices.

Sed eis omnibus de fontibus et aliis deque variis eorum indiculorum formis plura exposuit Goetz in libello qui *Der Liber Glossarum* inscribitur (*Abhandl. philol.-hist. Sachs. Gesellschaft*, XIII, 211-289 ; ubi etiam paginam codicis Parisini (qui proxime abesse a codice archetypo videtur) phototypice expressam invenies. eam si inspexeris disces quatenus nostra editio brevitati addicta ab Ansileubianae forma discesserit. lege quoque ea quae in volumine primo (nuper emisso) Corporis Glossariorum Latinorum (p. 104-107) de Ansileubo constituit.

III. — De vitiis archetypy

Nunc libet de vitiis codicis archetypy propriis breviter disserere, aliquot folia ad capita B, CA, M pertinentia alieno loco invenerunt qui codices nostros exscripserunt (cf. ad BE 148, BU 21, BO 27, BI 78 ; CA 235, 401 ; MO 7, MI 228, MU 202) ; saepius duae quae vicinae in schedis fuerant glossae in unam coaluerunt (1) ; in unaquaque pagina ipse Ansileubus se haesisse confessus signo *R* (i, e, require) usus est ; quod compendium male interpretati nonnulli codices varie praebent, ut *rum*, *res*, *respondit* (2). neque difficile est mente complecti quot dubitationes Ansileubo inciderint siquando vel glossae persimiles in manum venirent vel glossis male scriptis rectior forma in margine esset adscripta, denique suis edixisse videtur ut glossas omnes et rectiores et deteriores pariter exscriberent ; unde fit ut invenias non solum duas partes eiusdem glossae emendate scriptas (FA 442) *Farus cenatorium*, (FA 443) *Farus : turris speculatoria*, sed etiam glossam ipsam nondum emendatam (FA 444) *Farus : cenator sumptoris specula*.

Sed hanc varietatem glossarii, legentibus permiram et permolestam, fontes indagantibus perutilem, quo melius intellegas, plenius totam rem unde exorta sit et quo evaserit exponemus. voluit Ansileubus quam maximum glossarium condere ; et certe effecit hic antecessor Cangii id quod voluit, nam exegit monumentum quod non solum Bavaricam illam congeriem cuius fragmenta extant in codicibus Monacensibus (*Staatsbibl., lat.*, 4719^m, etc.), sed etiam Italicum AA quod vocatur glossarium longe magnitudine superat. duo igitur edixit. primum ut iteraretur quidquid sub nova forma iterari posset, deinde ut divideretur quidquid esset aut esse videretur divisibile. unde factum est ut unaquaeque particula materiei eius quam ex Synonymorum libro collegerat non minus fecunda fuerit quam Hydrae caput ; siquidem una ea particula quam supra citavimus (Ab abjectissimis: a deformissimis, ab infirmis, ab tenuissimis, ab obscurissimis, ab angustissimis, a parvissimis, etc.) peperit in

(1) vide LU 107 ; NE 200 ; EX 540-1. tales glossas solemus uno numero notare sic diviso ut 540, 540 *a* ; quam enumerationem noli confundere cum 540 *bis* et talibus quibus non usi essemus nisi in glossis enumerandis peccavissemus.

(2) itaque pro *Abolita R* (AB 262) codex Ambrosianus *Abolitarum* exhibet.



AB capitulo octo glossas, in AD quattuor, in AM unam, in AP quattuor, in AT quinque. legentium, inquis, commodo consuluit bonus Ansileubus. esto; neque improbamus iterationem vocabulorum sub diversa orthographia, velut ab IN et IM syllabis, ab AE et E litteris incipientium, sed quomodo haec glossa (MA 169) *Magime : Maurorum* possit explicari nisi exstet etiam (MA 160) *Magalia : casae pastorum, maxime Maurorum*? quomodo RU 72 *Ruerem : tunderem et prosternerem*, nisi adsit RU 111? damnosa igitur poterat esse iteratio; nec minus damnosa ea divisio quam suis edixit ille atomorum amator. quamvis enim parvi aestimes quod glossa quae in Abs-trusa glossario sic legitur *Perfidus : qui semel fidem fregit, Perfidiosus : qui semper*, in Ansileubi glossario facta est (PE 712) *Perfidiosus : qui semper*, (PE 715) *Perfidus : qui semel fidem fregit*, quid dicis de alia eiusdem originis (*Redamat : amantem mutuo diligit*) sic divisa (RE 316) *Redamat : amantem*, (RE 317) *Redamat : mutuo diligit*? male dicis Ansileubo. atqui saepenumero eas divisiones tam absurdas obtulit minus consulte scribentibus ipsa angustia columnarum, trium puta vel etiam quattuor in quaque pagina archetypi extantium, vel potius schedularum in quibus rudis indigestaque congeries primum erat exscripta; nec miraberis versum Terentianum, de quo infra dicemus, esse laceratum si ante oculos pones glossam veram (Commeritus : qui deliquit, ut « quid commerui aut peccavi, pater? ») sic scriptam:

commeritus : qui deliquit ut quid
commerui aut peccavi pater.

Nunc aliam disce obscuram Ansileubi diligentiam. illas glossas quae indicio *De Glossis* notatae sunt librariis non prius tradidisse videtur quam emendavit (1) et in margine emendatam vocabulorum formam vel formas adnotavit; quae marginalia etiam ipsa fiebant glossae, id satis malum erat; sed glossarium Abstrusa (et nimirum Abolita) sua quoque marginalia iam in textum acceperant. quare lector, cum in has incideris glossas (AN 134) *Anfracta : per flexu adeundi difficile*, (AN 136) *Anfractu : reflexu*, (AN 137) *Anfracta : per flexu adeunti sive difficile*, (AN 138) *Anfractu : circuitu iter difficile*, cave ne ab hoc Proteo fallaris, « sed quanto ille magis formas se vertet in omnes » tu magis arripe monadem veram *Anfractu : reflexu adeunti difficili* (quae glossa ad Aen. 11, 522 spectat.)

Respice nunc, quaesumus, ad duas longiores glossas quae scholia Vergiliana exhibent (LE 280, 287). suntne revera id quod esse videntur Scholia Variorum? finge te Ansileubi gregis esse, ecce longam glossam tibi traditam et in margine adscriptam emendationem duorum vel trium vocabulorum quid faceres edicti illius memor ut exscribantur omnia — certa dubia emendata inemendata? nonne primum glossam inemendatam exscriberes, deinde eiusdem emendatam formam? nonne ex una glossa duas creares? ergo hic quoque cave a Proteo.

Ne tamen temere colligas ex his tot codicis archetypi vitiis et ambagibus eum longe remotum esse ab illo quem faciendum Ansileubus curaverit, mo-

(1) notulam *alb.* (i. e. alibi) emendatae formae, ut moris tum erat, praefixam cave ne sic intellegas ut in alio codice vel etiam in alio fonte (cf. *Palae. Lat.* 2, 11).

nitum te volumus neque tantam glossarum congeriem sine erroribus perscribi potuisse neque potuisse Ansileubum omnia perscribere, ne perlegere quidem. nihilominus intelleges ex apparatu critico nostro optimos codices in textu tradendo ita consentire ut de archetypi ipsis verbis raro dubitatio occurrat. indiculos sane fontium non eadem cura scriptos esse apparet et hac in re, levioris scilicet momenti, alium alio scribam negligentiore fuisse. in ipso enim archetypo deerant multi indiculi per capitula I, LE, LI ; in exemplari codicum *PCFK* paene omnes per capitulum FR et multi aliubi ; in exemplari codicum *LA* multi per capitulum EL, etc. ; in exemplari codicum *TV* plurimi per omnia fere capitula, saepe etiam suspicio oritur marginalem indiculorum seriem primo esse descriptam, textum postea, ita ut indiculi cum glossis male congruant. accedit quod in angustis paginarum marginibus indiculi saepe aut omnino summoti aut miserrime decurtati sunt (velut *dels* pro *De Glossis* ad ME 172), saepe ita positi ut vix dicas ad utrum duorum versuum, priorem an posteriorem, revera spectent. nos igitur invenies in apparatu plura de indiculis marginalibus narrare quam de textu ipso ; et, quod ad tria glossarum genera notabiliora, videlicet glossas indiculis *De Glossis*, *Virgili*, *Placidi* notatas pertinet, siquando *T* (et *V*) aliter quam *LP* eas indicaverint, te semper monitum esse profiteamur. neque tamen oblivisceris de indiculo omissio non sic iudicandum ut de verbo ; nam etiamsi librarium fontis indiculos coniectura hic illic supplevisse (puta *Virgili* ad verbum Vergilianum ; cf. NO 298) non negaverimus, unius codicis testimonium contra duorum silentium valere haud raro potest.

IV. — De ordine glossarum

Ut monearis aut nihil aut perpauillum ex oracine glossarum ipso de fontibus conici posse vix est necesse, siquidem glossae ab uno fonte derivatae per totum Librum Glossarum statim dispersae sunt cum ad severissimum alphabeti ordinem redactus sit. nobis certe Goetz non persuasit qui sibi persuasisse videatur duorum indiculorum primum ad omnes intervenientes glossas pertinere. ceterum quam ob causam signum *Ciceronis* semel scriptum multas glossas comprehendat supra docuimus; nec mirum est si binarum glossarum ad Vergilium spectantium una sola indicio notata sit; neque possumus non confiteri glossam DI 361 a scriba male divisam melius in codicibus exhiberi (DE GLOSSIS Diis : dives singulari numero, Diis : dives, Terentius si diis quidem esses Demeta) quam in editione nostra.

O admirabilem Ansileubum qui tam accurate (1) tam vastam congeriem ordinandam curaverit ! quot membranae schedulis opus fuisse, lector, putas ? quanto labore in schedulis secandis, resecandis, titulo notandis ? cur quereris de fontium indiculis saepe deperditis, saepe alieno loco adscriptis ? nos potius castiga quia nonnumquam in glossarum numerum admisimus aliqua

(1) cur in capitulo O hic illic titubet ordo divinare non audemus ; te tamen monemus id capitulum in tripartito libro (cf. ad PA 1) ultimam partis alterius particulam fuisse.

quae revera nil nisi indicia ordinantibus erant (ut RI 27, 73, 110, quae idcirco conservavimus quia ex glossario Abstrusa translata erant ; cf. GA 122; GE 139 ; UT 58), neque quod ad firmum litterarum ordinem redactus sit Liber Glossarum magno nobis fuisse adiumento negandum quippe qui illum ordinem secuti rectiorem formam (1) lemmatibus minus accurate descriptis restituere potuerimus ; te quoque speramus facile quamlibet glossam inventurum esse si memineris hac in re Ansileubi (2) ordinationem ab hodierna differre quod ille inter litteram simplicem et duplicem nullum discrimen fecit, quaere igitur glossam v. g. (VA 21) Vaccula inter glossas (VA 20) Vacuefactis et (VA 22) Vacuo Caelo.

V. — De patria glossarii

Quod Goetz de Hispania patria Libri Glossarum credi vult argumentis vix evincere nobis videtur. quin fontes velut Isidorus, Orosius, Hispanici sint, quin codice Isidori cum familia Hispanica coniuncto usus sit Ansileubus, quin vestigia scripturae Visigothicae saepe in codicibus offendantur nullo modo negari potest, quid enim ? nonne Hispania mater erat artium saeculo septimo ? num fama Isidori Orosiique finibus Hispanicis circumscripta est neque per totum orbem terrarum vulgata ? quis ignorat regnante Carolo Magno codicem (Isidori puta vel Placidi) maxime probatum etiam longinque peti solere ? postremo si magno argumento lector credis rem palaeographicam esse, duo sunt monenda : primum illa librariorum Hispanicorum vestigia in glossis Isidorianis, Placidianis, aliis, non tamen in omnibus glossarum generibus inveniri ; deinde scripturam Visigothicam non solum in Hispania sed etiam in Aquitania tum temporis floruisse, tum etiam codices Libri Glossarum vetustissimos non in Hispania sed Corbeiae, regnante Carolo, esse exaratos (3).

VI. — De glossarii utilitate

Denique ne 'tot post hominumque boumque labores' lateant quot commoda hic habet liber philologis ex uno exemplo disce omnia. apud Servii auctum in Aen. IV 335 commentarium haec leguntur : *Promeritam : praestitisse et bene gessisse; et est sermo de his qui per contrarium magis lucent. Terentius 'ita me velim ames promerentem pater', id est bene agentem, et congruit ut*

(1) littëram *e* pro *ae*, litteram *i* pro *y* positas non nimis religiose restituimus, quid ipse Ansileubus de eis rivalibus senserit incerti.

(2) miraberis litteram X (in capitulo saltem glossarum ab X littera incipientium) saepe partes Graecae litterae Chi sibi arrogavisse. vide igitur ne Etruscum mensis nomen (XO 1) revera Chosfer fuerit.

(3) hi sunt codices : Parisinus, Cambracensis, fragmentum bibliothecae Sanctae Genovevae (B I 19), fragmentum Carolisruhense (Reich. frag. 140). eodem igitur iure Librum Glossarum affirmabis esse Corbeiensem quo glossarium illud quod PP appellamus esse Hispanum.

praestet qui bene agit ; contra commeritus' qui aliquid deliquit, ut alibi ipse Terentius 'quid commerui aut peccavi, pater ?', id est quid male egi ? et est sensus:quantacumque enumerare potueris in me tuo beneficio conlata, eorum tibi debere gratiam non repugno. in Ansileubi glossario reperies glossam : (CO 397) *Commeritus : qui delinquit ut « quid »* (indiculo *De Glossis* notatam) ; et alteram (CO 1167) *Commerui : aut peccavi pariter*, quis negabit has glossas e scholio Vergiliano, videlicet per plenius Abstrusa glossarium derivatas esse ? necnon verisimile videtur has quoque glossas (CO 1164) *Commeruit : offendit (=Abstr.)* ; (CO 1165) *Commeruit : male meruit aut offendit* ; (CO 1166) *Conmeruisti : offendisti* ; (PR 2354) *Promeritus : apud antiquos dicebatur qui quid benefacisset ; promeritam : profuisse, praestitisse* ; fortasse etiam (ME 504 indiculo *De Glossis* notatam) *Merui : dignus propemodum fui* ; (ME 505) *Merui : inde promerui et commerui natum est* ex eodem scholio venisse, age, disiecta collige membra, habebis Absyrtum, cave modo ne aliena admisceas et humano capiti cervicem equinam iungas.

Quid ? nonne campum patefecimus amatoribus Vergilii in quo se exercent ? nonne etiam campum studiosis Romanicarum quae vocantur linguarum ? nam hae glossae ea mente scriptae ut verba obsoleta aut intellectum difficilia discentium mentibus accommodarentur sermonem omnibus usitatum adhibent. hic igitur habes verum specimen Latinitatis qualis in saeculis septimo octavo post Christum natum viguit, et multo verius quam in libris tum temporis scriptis inveniri potest, quippe quorum scriptores elegantiorum dictionem saepius affectaverint.

Ite igitur, philologi, in novum campum : laboravimus ; vos in labores nostros introite, nos enim satis habuimus in praefatione utilitatem glossarii indicare, in apparatu exempla aliquot exhibere. qui autem vos accingitis ad scholia Vergiliana reconcinna, adhibete monemus Isidorum adiutorem. nunc enim demum agnoscitur quantum Etymologiae (Differentiae quoque) scholiis Vergilianis acceptum referant. et quoniam ille, id quod in praefatione sua testatur, solitus est locos auctorum sicut erant conscripti transferre. dubitavimus interdum (et dubitavit fortasse ipse Ansileubus glossas gemellas nactus) utri fonti, Isidoro an pleniori Abstrusa glossarii formae, glossa nullo indiculo notata esset adsignanda (cf. FI 16 ; FL 279 ; LI 8 ; PA 955). In errore autem sunt nobis iudicibus siqui credunt glossas indiculo *De Glossis* recte notatas posse ex Isidoro provenire.

VII. — De glossariorum aliorum testimonio.

Non nos eo stultitiae pervenimus ut credamus, indiculo illo *De Glossis* freti, glossaria ea quae Goetz in Corpore Glossariorum Latinorum publici iuris fecit Ansileubo quoque praesto fuisse et ab eo esse adhibita. immo iam professi sumus nos in eo indiculo nil fere nisi Abolita Abstrusa glossaria agnoscere, et quoniam apparet Abstrusa glossarium ex duobus fontibus hausisse, Vergilio et Scriptura Sacra, Abolita autem ex quattuor, Vergilio, Terentio Festo, Apuleio (quibus adde parvum Onomasticum Sacrum), si haec quae apparent vera sunt habes regulam qua usus unamquamque glossam ad suum primum fontem revoces. cur igitur aliorum glossariorum (Abavus, puta, San-

gall., AA, Ab Absens) hic illic mentionem fecimus ? quia eorum glossariorum conditores ex codicibus Abstrusa et Abolita glossariorum plenioribus aut melioribus quam qui nunc extant hauserunt, nostra igitur in editione siquando prodeunt, testes prodeunt de glossariis Abstrusa Abolita testimonium daturi.

Et saepissime quidem citatur testis Glossarium Vergilianum (C. G. L. IV 427-470), nempe glossae collectae ex marginalibus in Vergilii codice adnotatiunculis ; quae in Glossario quod dicitur Vergiliano stant indiviso agmine, in glossario Abolita per omnes litteras dispersae sunt et secundum syllabas a quibus incipiunt ordinatae, hunc tamen testem noluimus suo nomine appellare ne ex ambiguo siglo *Gloss. Verg.* confusio oriretur in textu igitur notavimus (*'Abol.'*), in apparatu versum Vergilianum indicavimus.

Glossarii quod appellamus PP, cuius nonnisi duo fragmenta adhuc innotuerunt, alterum Parisinum (Bibl. Nat., nouv. acq. lat. 2698), alterum Pragense (XIII F 11), utrumque in Hispania saeculo undecimo scriptum, raro mentionem fecimus (cf. ad SC 160 ; TE 252). quid, inquis, nonne huius glossarii archetypum revera parens erat glossarii Ansileubiani ? minime. hauserunt quidem ex eisdem fontibus ea duo glossaria non aliter quam Leidense illud glossarium Latino-Anglum quod Hessels edidit (Glogger quoque) ex eisdem fontibus hausit atque glossarium Corp. (i. e. Corporis Christi Collegii Cantabrigiensis) et glossarium EE (Epinalense Erfurtense). si tamen Corp. et EE fratres sunt, Leid. neque parens neque frater est sed potius consobrinus, glossarium PP quo saeculo natum sit nescimus, affirmamus tamen non parentem esse nostri glossarii, non fratrem, non consobrinum, sed potius consobrini filium vel etiam nepotem (1) ; et hac in re longe a vulgari opinione dissentimus.

VIII. — De siglis nostris

(A). — *Sigla Codicum.*

A. Mediolanensis (Bibl. Ambr. B 36 inf.) saec. ix exaratus minuscula illa scriptura quae in Italia septemtrionali in usu erat, omnes litteras habet, cum Vaticano (L) cognatus est. contulerunt Mountford, Whatmough (cf. *Class. Quart.* 17, 40).

B. Bambergensis (P ii 33), saec. xi Bambergae puta scriptus, perpaucos fontium indiculos exhibet et raro citatus est. habet tantummodo A-P litteras. codicem benignitate bibliothecarii Bambergensis Bernam transmissum inspexit Lindsay.

C. Cambracensis (Bibliothèque Communale 693, olim 633) saec. ix in partim propria Corbeiana partim Carolina quae dicitur Corbeiana scriptura exaratus litteras M-Z habet. hunc codicem qui frater gemellus codicis Parisini est

(1) PP glossarii Parisinum fragmentum publicavit Goetz (C. G. L. V 104-158). de Pragensi nuper reperto et de tota indole glossarii disputabit Mountford (*Bulletin Ducane* 1, 31).

scito advenam fuisse utpote quem Cambracensibus anno 1680 donaverit « Claude Joly, Chantre de Notre-Dame de Paris ». codicem contulit Mountford (cf. Class. Quart. 17, 40).

D. Londiniensis (British Museum, Harl. 2735), olim Petri Danielis Aurelianiensis, saec. x exaratus Librum Glossarum in brevius contractum exhibet, nobis parum praestat. hunc codicem contulit Laistner.

F. Bernensis (Stadtbibliothek 16), olim Floriacensis, saec. ix scriptus litteras A-E habet. hunc codicem qui cum Parisino cognatus est contulit Lindsay.

K. Augustonemetensis sive Claromontanus (Bibl. Univ. 240, olim 189) saec. xi scriptus litteras A-P exhibet. hunc codicem Parisini affinem contulit Whatmough (cf. Amer. Journ. Phil. 44, 161).

L. Vaticanus (Vat. Pal. 1773), saec. ix in. Laurissae (cf. Palae. Lat. 3) exaratus omnes litteras habet. quae emendaverunt correctores (*L*²) coniectura usi ea negleximus. hoc codice photomechanice expresso per tres annos nos omnes usi sumus.

P. Parisinus (Bibliothèque Nationale, lat. 11529 et 11530), saec. ix in. partim propria Corbeiana, partim Carolina Corbeiana scriptura exaratus omnes litteras habet. corrector (*P*²) lectiones exemplaris restituit. ut Vaticano sic hoc codice usi sumus.

R. Monacensis (Staatsbibliothek. lat. 14429), olim Ratisbonensis, saec. ix. ex., partim scriptura Hibernica partim Ratisbonensi exaratus omnes litteras exhibet. ex hoc codice Salamo episcopus suum glossarium confecit, cum autem multas glossas omiserit, confuderit, decurtaverit hic testis non pluris valet quam *D* aut Sangallensis (905). quaedam nobis benigne excerpserit Paulus Lehmann.

T. Turonensis (Bibliothèque de Ville 850) saec. ix. scriptus, olim omnes litteras habebat. hunc codicem contulerunt Mountford, Rees, Whatmough (cf. Class. Quart. 15, 192).

V. Vinlocinensis (Bibliothèque de Ville 113 et 113 *bis*) saec. xi. exaratus totum Librum Glossarum continet. hunc codicem contulit Mountford (cf. Class. Quart. 17, 40). *T* et *V*, codices gemelli, descripti esse videntur e codice nunc perditio et fortasse Turonensi, quod exemplar (saec. ix. in. puta scriptum) cum temere emendaverit aliquis (cf. AB 319; DI 1062; KA 38) non tanti aestimandum iudicavimus quanti *LP*, ne bonas quidem eius lectiones semper codici archetypo tribuimus. siglo quam cryphiam vocat Isidorus (Et. 1, 21, 10) pro archetypi nota *R* (i. e. require) usus exemplaris eius corrector glossis quas emendaverat saepe adscripsit (v. g. IN 1721; cf. Palae. Lat. 2, 13).

W. Vercellensis (Biblioteca del Duomo 62 I) saec. x, Hattone abbate, exaratus, omnes litteras habet. hunc codicem contulit Whatmough (cf. Amer. Journ. Phil. 44, 158).

Henrico Omont gratias agimus qui codices *CTV* nostrum in usum ad Bibliothecam Nationalem transportandos curaverit.

(B). — *Sigla aliquot Fontium.*

Ambr.	Ambrosii Hexaameron.
Aug..	Augustini De Civitate Dei (ed. Hoffmann 1899-1900).
cosmogr.	cosmographia a Iulii Honorii libro non aliena. vide Laistner (Class. Quart. 18,49).

Diff.	scriptor ignotus Differentiarum.
Euch.	liber secundus Eucherii Instructionum (ed. Wotke 1894).
Gal.	Galenus, vide Heiberg (Danske Videnskabernes Selskabs Forhandling. 1924).
gram.	scriptor aliquis, fortasse Isidorus ipse, qui res grammaticas tractavit.
Hier. nom.	glossae Hieronymi ad nomina Sacra pertinentes. vide Wutz (Onomastica Sacra).
Hipp.	Hippocrates, vide Heiberg.
Is.	Isidori Etymologiae, editionem Oxoniensem (1911) citavimus.
Is. Di.	liber primus Differentiarum Isidori.
Iul.	Iulani Toletani liber de Vitiis quem recensuit Lindsay (Saint-Andrews University Publications XV, 1922).
Med.	Libri Medicinales ; de quibus vide Heiberg.
med.	scriptor aliquis qui res medicas tractavit, vide Heiberg.
Mens.	glossae ad mensium nomina spectantes quas edidit Mountford (Journ. Hell. Society 43,102).
mens.	aliae glossae menses tractantes sed non eiusdem generis (vide Mountford l. c.).
nom. Bibl.	scriptor aliquis qui nomina Hebraica interpretatus est (vide Wutz Onomastica Sacra).
Orig. nom.	Origenis interpretationes nominum Sacrorum Latine redditae (vide Wutz).
Oros.	Orosii Historiae (ed. Zangemeister 1882).
Orth.	Pauli abbatis liber de Orthographia.
orth.	aliae glossae ad orthographiam pertinentes, fortasse etiam Pauli.
Oxeap.	Oxeapathetica (vide Heiberg).
Pand. Med.	Pandecti Medici (vide Heiberg).
patr.	patrum ecclesiasticorum aliquis.
Plac ?	glossae siglo <i>Placidi</i> notatae quae tamen in libris Placidi Romanis non exhibentur. eas omnes accurate expositas in Corp. Gloss. Lat. (V 43-104) invenies.

(C). — *Sigla Varia.*

AA	glossarium quod a glossa <i>AA vox dolentis</i> , etc. incipit. editionem parat Carolus Theander.
Corp.	glossarium Latino-Anglum Corporis Christi Collegii Cantabrigiensis (ed. Lindsay 1922).
EE	glossarium Latino-Anglum Epinalense Erfurtense.
n. l.	non legitur.
Palae. Lat.	Lindsay « Palaeographia Latina » (Saint-Andrews University Publications XIV sqq.).
PP	glossarium Parisinum (nouv. acq. 2698) Pragense (XIII F 11).

Virg. Schol.

Thomson « Virgil Scholia in Abstrusa » (Saint-Andrews University Publications XIII 1922).

ne verbis iteratis iterum exhibendis nimis chartae prodigi simus litteris tantum primis verborum aliquotiens uti audemus ; lemmata iterata semel tantum exhibemus.


IX. — Epilogus.

His, lector benevole, quae praefati sumus speramus nos viam per salebras huius editionis tibi expedivisse, vale, lector benevole.

Nunc ad criticorum gregem nos convertimus ; audimus interrogantes cur non singulae glossae intervallo distinctae sint, cur non nisi unum capitulum (E litteram) satis late ac diffuse exhibuerimus ; cur non Graecae litterae plenius adhibitae, cur non cursivae ; cur non exscripti sint inediti loci Isidoriani universi, etiamsi nihil novi neque commodi habere videantur ; cur non indices lemmatum saltem prave scriptorum praesto sint ; cur non amplioris praefationis centesima pagina surgat — iis omnibus sufficiat unum responsum : « quia defuere nummi ». siquis tamen pigritiam nobis obiciet quia taedio victi aliquot locos Augustini Hieronymi Gregorii aliorum patrum non indagavimus, interdum in incerta nota (= *patr.*) acquievimus, habebit confidentes reos ; neque audemus negare hanc editionem inter tot editores distributam de severiore identidem constantiae regula deviasse, critici, vos quoque valete.

W.-M. LINDSAY.

J.-F. MOUNTFORD.



GLOSSARIUM ANSILEUBI

A

A littera (Is. 1, 4, 16).

AB

Abba (= Is. 7, 13, 15) 2-4 Ab abiectionissimis (= Syn.) 5. Ab accessu ventorum : ad (ab) vent. ingressu. (Verg. 3,570) 6. Abactus : ab actu remotus, ablatus, expulsus. (= Abstr.) 7. (Plac. 3,7) 8. (=Is. 10, 20) 9. Ab [i] (=mens.) 10. Ab (= mens.) <10*.> (= Mens.) 11. Abactor (= Is. 10, 14) 12. Ab alto : caelo. (Plac. ?) 13. mari. 14. e m. 15. a c. 16. a profundo. 17. Abaneth (=Is. 19, 21, 2) 18-9. Ab angustissimis (= Syn.) 20. Abarim (= Hier. Sit. 89, 8) 21. Aba (avia) (= Is. 9, 6 ?) 22. Abas : dux Troianus. (= Verg. 1,121) 23. Abaselines (A., Aletes) : principes Troianorum. (= ib.) 24. Abaso (?) : infir[r]ma domus. (= Abstr.) 25. Abavus : pater (!) avi. (= ib.) 26. (= Is. 9, 5, 9).

Abdias (= Is. 7, 8, 17) 28. Abdicant : repudiant. (Abol.) 29. absterrunt vel propulsant. (= Ib. ?) 30 -care : condemnare, respuere aut repudiare vel expellere. 31. -cat : abicit, respuit.

(=Abstr.) 32-4. (Syn.) 35. -catum : exclusum vel exheredatum. (Abol.) 36. Abdicat : abdidit (!) (= Abstr.) 37. repudiat, a se alienum facit. (= ib. ?) 38. (-cat) : avertit, abicit. 39-41. Abdidit (= Syn. ?) 42. Abdinago (Is. 7, 8, 25) 43. Abdita : abscondita. (Abol. ?) 44. -dit : abscondit. (= ib.) 45-8. -ditum (Syn.) 47. Abdo (Euch. 142. 9) 50. -omen (Plac. 5, 7) 51. Abducit : distrahit. (Verg. ?) 52. abstrahit aut a[d]sportat. (Abstr.) 53. -tur, perduc. et deduc. (Is. Di. 27) 54. -ctus : ab isto loco ductus. (Abol.)

Abebitis : praedabit. (? (Gloss.) 56-8. Abegit (= Syn. ?) 59. Abel (Euch. 140,21) 60. (Is. 7, 6, 8) 61. Abellana (Hipp.) 62. -nae (= med.) 63. (Is. 17, 7, 24) 64. Avena et <h>abena (Is. Di. 46 ; Et. 20, 16, 3) 65. <H>abenas : lora ; sed nunc potestatem dicit flandi. (Verg. 1,63) 66. Abero : abscedam. (Gloss) 67. abscedo, discedo, pergam. (Verg. 2,260) 68. A<s> beston (Aug. II 527, 25-6) 69. (Is. 16, 4, 4) 70. Abesse : absens esse. (Gloss.) 71. -essem : ad-sensisssem (absens essem). 72. -est :

A 1. Is.] superscr. L : om. P. || AB 2-4. cf. 490-2. || 6. Orig.] LP. || Abl. exp. (nova glossa) LP : om. Abstr. cf. AD. 2. || 7. cf. 143. Aborsus LP. [9. cf. QUI 179. || 11. cf. 144. || 12-6. Geo. 1, 443, etc. || cf. « Abol. » (Al. nunc. m. alias c.). || 14. post 15 P. || 18. Is.] L (cf. 17). || 18-9. cf. 490-2.] 20. Gloss.] V. 24. Sequitur in Abstr. Absurdum : infirmum inconueniens. Hincine illud « infirma » ? || infirma (et infirma) Corp. 31. cf. 37-8. || 32-4. cf. 93-6 ; 141-2 ; 395-402 ; 410-6 ; AL 159-62 ; AR 140-3 ; CO 71-3 ; 162-7 ; RE 1293-305 ; SU 245-51 ; VE 538-42. || 36. Abdicat corr. Abdidit Abstr. || 37-8. cf. 31 ||. 43. -um -um Abol. || 45-8. cf. 340-4 ; IN 2051-2 ; LA 420-2 ; OB 425-32 ; 606-13 ; 637-44 ; 742-6 ; OC 159-66 ; RE 209-20. || 51. vix Abducite (Aen. 3, 601). || 52. Gloss.] PF : om. LVW. || 55. Adhebitis P : an Avehetis ? vix Abductis praedatis (Geo. 1, 507).

65. flagellandi B (non VW) (cf. Notae Latinae, p. 81). || 70. cf. 73. || 76-8.

- deest. (= Abol.) 73. abs. est. (= Abstr.) 74. -esto : abs. esto. (= Abol.) 75. Ab <a>etheri (-e) : a caelo. (Verg. 7, 143 ?) 76. Abeuntibus : recedentibus. (Gloss.) 77. discedentibus. (= Abstr.) 78. proficiscentibus. 79. -unt : discedunt. 80. redeunt, vadunt. (= Abstr.) 81. absentes fiunt vel transeunt. (Verg. 3,452) 82. Ab <a>evo : a saeculo. 83. Ab Euro<o> fluctu ; ab ea parte unde Euris fluctus facit. 84. Abforet (adf-) : adesset vel videret. (Abol.)
- Abia (Euch. 142, 16) 86. Abibat : recedebat. (Gloss.) 87. discedebat vel transiebat. 88. Abicere : iactare, proicere. (Gloss.) 89. Ab. et proicere (Is. Di. 18) 90. -cit : proicit. (Abstr.) 91. (-git) : expellit. (= 138 ?) 92. (-git) : compellit. (= 139 ?) 93-6. (-git) (Syn.) 97. -ciunt : repellunt. 98. Ab ictu : ab impetu. (= Verg. 5,428 ?) 99. Abydos (Is. 14, 6,17) 100. urbs Hellesponti in parte Asiae. (Verg. G. 1,207) 101. Abies (Is. 17, 7, 32).
- Abiecit : contempsit. (Gloss.) 103. afflixit, prostravit. (Is. ?) 104. oppressit. 105-8. (= Syn.) 109-16. Abiectare (= ib.) 117-20. -to vultu (= ib.) 121-2. -tum (= ib.) 123-31. -tus (ib.) 132. longe iactatus vel proiectus. (Gloss.) 133. contempto loco, dispectus (de-). 134. iactatus. (= Abol.) 135. Abiezer (= nom. Bibl.).
- Abige : expelle. (Abol.) 137. -gebat ; fugabat. 138. -git : minat, expellit. (= Abstr.) 139. compellit. 140. fugat, inimicos facit, simultatem init, insectatur. (Gloss.) 141-2. (= Syn.) 143. Abiieus (- ige-) (Plac. ?) 144. (Is. 10, 14) 145. qui seducit servum aut pecus alienum. (Abstr.) 146. Abila : Sabaei, Gethuli, Labain (Is. 9, 2, 14-19 !) 147. <H>abilem ; aptum. (= HA 3) 148. Abimelech (Euch. 142,6) 149. (Hier. nom.) 150. Ab imo : delosum (deio-). (Abstr.) 151. -is : ab intimis. (Verg. 5, 84 ?)
- Ab ineunte aetate : ab ipsis rudimentis infantiae. (Abstr.) 153-5. Ab infirmis (= Syn.) 156. Abingasse <re> (-iug-) (Plac. 7, 5) 157. Abi[n]gere : expellere. (Abol. ?) 158. Ab[in]itione : discensione (-ess-). (= Abstr.) 159. Abiona (Hier. Eccl. 12, 5) 160. Abire : discedere. (Gloss.) 161. <Abibat :> abire coeptabat, ire incipiebat. (Verg. 2,382) 162. Abis : recedis. (Abstr.) 163-5. (= Syn. ?) 166. -isse : discessisse. (= Abol. ?) 167. recessisse. 168. Abysum : profundum. (Verg. ?) 169. (Is. 13, 20, 1).
- Abit : discedit. (Abstr.) 171. -iit : discessit. (= ib.) 172. (abfuit) : absens fuit. (= Abol.) 173. transiit. (= Verg. 5,318) 174. antecessit et priorem locum tenuit. (= ib.) 175 -80. (Syn.) Abita : deside-

Aen. 1, 196. || 77. *om. PF (non V).* || 81. Verg.] *om. PK.* || 82. Eccli. 1, 4 ? || 83. Aen. 3, 533. || 84. abesset *L.*

86. Gloss.] *LP* : ad 87 *V.* Aen. 2, 382 ? cf. 161. || 87. Aen. 10, 859 ? || 90. Gloss.] *LP* : ad 91 *V.* || 93-6. cf. 32-4. || 97. Verg.] *LP* (cf. 98).

105-8. cf. EV 84-96. || 109-16. cf. CO 1232-3. || 117-20. cf. PA 172-6. || 121-2. cf. DI 465-7. || 123-31. cf. BA 141-6. || 132. Daniel 4, 30, etc. ?

138. Min., Francogallice « mener ». cf. 91. || 139. cf. 92. an Gloss.] (cf. 140) ? || 140. an Syn.] ? || 141 -2. cf. 32-4. || 143. cf. 7. || 150. dolosum *V. I. e.* deorsum.

153. Gloss.] *V.* || 153-5. cf. 490-2. || 155. Ab infirmis *LP.* || 157. Abige expelle *Abol.* || 161. = Abstr. Gloss.] *T (non V).* cf. 86 ; 301 (ubi Gloss.). || 167. an Verg.] (cf. 168) ?

175-80. cf. EM 107-13 ; EG 73-6 ; ER 305-11 ; EV 26-33 ; 205-19 ; EX 214-28 ; 676-85 ; 1368-74 ; IT 34 ? PE 672-5. || 181. vix Habita : vix Abolita. Cf. praeterita,

rata. (Gloss.) 182. (hab-?) : cognita. 183. -ite : discedite. 184. -itione ; discensione. (= 158) 185. -ito ; discedito. 186-91. Abiugat (Syn.)

Abiurare : est rem creditam negare periurio. (« Abstr. ».) 193. negare. (= Abol.) 194. -as : abnegas. 195. -at : periurat, 196. reprobatur, abnegatur. (= Abstr.) 197-8. (Syn.) 199. -atae : furatae. (Abstr.) 200. -atio (Is. 5, 26, 20) 201. -o : nego. (Gloss.)

Ablactatus (Is. 10, 11) 203. -latus (= Is. 1, 7, 32) 204. -latus : ignotum aut separatum. (Gloss.) 205. Ablegatus : condemnatus. (Abstr.) 206. Abligurrit : degustatur. (= AL 116) 207. -rrigine : voracitate. (Gloss.) 208. -rriri : glutire, sorbere vel devorare. 209. Ab litore : ab ora maris. 210. Abluero : purgavero. (Gloss.) 211. lavo, mundavero. (= « Abol. » ?) 212. -luit : absterget, aufert. (Verg. ?) 213. emundatur. (Gloss.) 214. diluit. 215. mundatur, lavatur. (= Abstr.) 216. Ablundam (aplundam) (Plac. 6, 20) 217. Abluo : redimo. (Gloss.) 218. -lutione : emundatione. 219. -lutione (all- ?) : inundatione (emu- ?) sordium. (= Abstr.)

Abnegare et negare (Is. Di. 386) 221. -gat : pernegatur. (Gloss.) 222-6. (Syn.) 227. Abnepos : filius nepotis. (Abstr.) 228. (Is. 9, 5, 29) 229. Abnuat : recu-

set, nolit. (« Abol. ») 230. -ueram : non receperam, repelleram. (= Abstr.) 231. contradixeram. (= Abol.) 232. prohibueram. 233. -uerat : recusaverat, abnegaverat. 234-5. -uere (Syn.) 236. (Plac. 3,4) 237. -uit : abominatus est, exclusit. (Gloss.) 238-40. (= Syn. ?) 241-3. (Syn.) 244. -uunt : contradicunt.

Abolere : abstergere. (Abol.) 246. incendere. 247. oblivisci. (= Abol.) 248. delere. 249. neglegere. (= ib.) 250 de memoria tollere. (= Verg. 1,720) 251. in oblivionem deducere. (= ib.) 252. in obl. mittere. (= ib. ?) 253. adolere. (!) 254. -lescit : de memoria excidit. (= Abstr.) 255. -lescet : in oblivionem vadit. Virgilius (7,232) « tantique abolescit (-et) gratia facti ». 256. -let : in oblivionem mittit. 257. delet vel tollit. (= Abstr.) 258. -letur : deletur. (= Abol.) 259. -levit : excidit. 260. neglexit. 261. -lit (-let) : detollit. 262. -lita : non (nomen ?) extinguitur. 263. abstersa, deleta. (= Abol.) 264-8, -lita est (Syn.) 269. -litio : de memoria exire (-itio). (Gloss.) 270. dilectio (deletio) gestorum. (= Abol.) 271. -litus : oblitus.

Abominat : negatur quod suum est. (Abstr.) 273. despectui habet vel despicit. 274. -tus : contemptus, despectus. 275. (abusitatus) ; minus instructus in scientia. (= Abstr.)

subita. || 185. Aen. 5, 314 ? || 186-91. cf. DI 490-8 ; 655-60 ; 771-6 ; 921-7 ; 1084-8 ; 1110-5 ; 1134-8 ; 1259-62 ; SE 10-5 ; 19-23 ; 217-22 ; 396-403. || 192. Schol. Aen. 8, 263. 197-8. cf. 222-6 ; 241-3 ; CO 1857-66 ; DI 280-2 ; NE 209-15 ; RE 300-8 ; 1086-9 ; || 202. Is.] ad 203 V.

204-428. *deest L, catus in partes succedit primum V* (204-255), *deinceps* (256-428) TV. || 204-5. Gloss.] *om. V.* || 208. Abliguriri PVF (*non AB*). || 209. Aen. 3, 536, etc. || 210-1. Aen. 2, 720. || 212. Abluet PVF. || 213. Gloss.] *om. V.* || 219. cf. AD 414.

222-6. cf. 197-8. || 229. Abnuat P (*non V*). Aen. 4, 108. || 230-2. Aen. 10, 8. || 234-5. cf. RE 278-84 ; 689-90. Syn.] ad 235 PVF. || 237. Aen. 5, 531. || 241-9. cf. 197-8.

254. exc. *om. V.* 255. Abolescit V (*non AF*). Verg.] A. || 262. Abolitarum A, i. e. -ta + R(equire), ut in T. || 264-8. cf. 384-8 ; CE 627-40 ; CO 1412-4 ; DE 381-5 ; 407-11 ; 593-7 ; 1082-7 ; EL 22-5 ; EV 17-22 ; EX 954-68 ; RE 405-8 ; 1635-49.

275. cf. 513. || 276. Gloss.] T (*non V*).

277-80. cf. 456-9 ; AL 172-7 ; DI 228-34 ; 709-13 ; 725-35 ; 822-5 ; 869-77 ; 939-43 ; 947-51 ; 1075-9 ; 1238-41 ; VA 169-74.

Ab ordine : a compositione. (Verg. 3, 447 ?) 277-80. Ab<h>orrens (Syn.) 281. -et : discrepat. (Abstr.) 282. Ab origine : a genere. (= ib.) 283. a principio. (Verg. 1,642 ?) 284. ab exordio. (= ib.) 285. Ab or. gentis : a pr. generis. (= ib. ?) 286. Ab oris : a finibus. (Abol.) 287. a fi., id est litora (-re). (Verg. 1, 1 ?) 288. a fi. a regionibus. (= ib.) 289. Abhorris (-ens ?) : scandalosus. (Gloss.) 290. Aborsum (alio-) : altera in parte. (= Abstr.) 291. Abortivus. (Is. 10, 20) 292. -rtus (ob-) : subito natus. (Abstr.) 293. (ad-) : adgressus. (= ib.)

Abos (av-) : priores, maiores Romani (-norum). (Gloss.) 295. Abosive (abu-) : alternis vicibus. (?)

Abram (Is. 7, 7, 2) 297. (Hier.) 298. (Euch. 141, 3) 299. Ab re : contra rationem. (Abstr.) 300. Abrech (Hier. Gen. 41, 43) 301. Ab<i>re c<o>eptabat : ire incipiebat. (Abstr.) 302. Abreptas : cum impetu a[m]b[u]latas. (= Verg. 1, 108 ?) 303. impetu raptas. (= ib.) 304. -tus : raptus. (= Abstr.)

Abrogamus : denegamus. (Gloss.) 306. vetamus. 307. -gans : detrahens, maliloquus. 308. Abr. et adr. (Is. Di. 1,3) 309. Abr. : infirmans. (Gloss.) 310. -gant (= Plac. 5, 32) 311. -gare : legem tollere. (= Abstr.) 312. infirmare. 313-6. -gat (= Syn ?) 317. -gatur : auferitur. (= Abstr.) 318. -gentur (adr-) : subdantur. 319. Abroret (abhorret) : discrepat. (= 281) 320. Abrotanum

(= med. ?) 321. Ab rupe : e scopulo. (Verg. 3,647) 322. Abrumpere : a se separare et relinquere. (Gloss.) 323-5. -pit (= Syn. ?) 326. -pta sanctio (Plac. 5, 21) 327-9. -ptae (Syn.) 330. -ptis : apertis. (Abstr.)

Absalon (Is. 7, 6, 67) 332. Abscedere, disc., sec. dec. (Is. Di. 1, 155) 333. -dit : discedit. (Abol.) 334. -dunt : discedunt, recedunt. 335. -ssit : abiit, evolavit. 336. Abscidens : abrumpens. Virgilius (G. 2, 23) « hic plantas tenero abscidens de corpore matrum ». 337. Abscidit : separavit. 338. de memoria ex<i>t. 339. Abscondere : occultare. 340-4. -nsum (Syn.) 345. -nsum et absconditum (= Is. Di. 1, 9) 346. Absens : cum a. fuero (Verg. 4, 384) 347. Absere (ars-) ; fulserunt. 349. Absentio (adsensio) : adolatio. (= AD 695)

Absictos (apsyc-) (Is. 16, 11, 2) 350. Absida (= ib. 15, 8, 7) 351. Absiliunt : descendunt (discin- ?). Statius (Th. 10, 374) « absiliunt nubes et fulgore claro astra patent ». (Gloss.) 352. Absinthium (Is. 17, 9, 60) 353. Absistet (-it) : cessavit, removet se. (Gloss.) 354. -it : longe est, desinit. (= Abstr.) 355. longe recessit. 356. cessat vel discedit. (=Verg. 1,192) 357. cessavit. (=ib. ?) 358. -ite : recedite. 359. Absit : longe est et sit. 360-2. Absolvit (Syn.) 363. -lute : manifeste. (Abstr.) 364. -lutio : id est firmo atque solido nominata. (Is. ?) 365. -lutum bonum (Plac. 5,28) 366-9. -lutus (Syn.)

281. Gloss.] *om. T (non A).* || 285. Aen. 1, 462. || 287. est a littora. *T (non V)* : est litore *B.* || 289. Gloss.] *om. T.* || 294. *romani ATV* ; *sumum B* : *somum PFW.* Aen. 6, 876.

295. cf. 509. an <Alternas> ?

301. Abire *V.* cf. 161 (ubi Verg.) || 302. Verg.] *om V.* || 302-3. -tus -tus *V.*

